



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XXIV. De pace fruenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

ANNO CHRISTI 883. *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino* Exod. 22.  
*Deo tuo.* Vbi nec liber, nec seruus excipitur, qui om-

nes vnum sumus in Christo, apud quem nulla ha-  
 betur personarum acceptio. Item in Concilio Are-  
 latensi, capitulo vigesimo: Vt ecclesiæ antiquitus  
 constitutæ, nec decimis, nec vlla alia possessione  
 priuentur.

XXIII.

Multi sunt, qui secundum humanas leges di-  
 uina spernentes iudicia, testes ac coniuratores si-  
 bimet producere volunt. Quos minime admitten-  
 tes, sicut vnum confitemur Deum, vnam fidem,  
 vnum baptisma, ita etiam vna per totum mundum  
 ecclesia vniformiter pari lege & simili religione ex-  
 colenda est. Itaque decernimus, vt iuxta diuinæ  
 legis sanctionem, & secundum ipsius sedem ciuita-  
 tis, in qua ratio ventilatur, vnaquæque gens, &  
 cuncta adiacens parochia subiaceat, ita vt aucto-  
 ritate episcopi, aut iudicii examine, aut sacramen-  
 ti protestatione se expurget. Et non minus quam  
 quatuordecim annos ætatis habeat, qui ad testi-  
 monium admittendus est secundum censuram ca-  
 nonicæ institutionis, sicut in Africano Concilio  
 capite nonagesimo octauo scriptum est: Testes ad  
 testimonium non admittendos, qui nec ad accusa-  
 tionem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse  
 accusator de sua domo produxerit. Ad testimo-  
 nium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ  
 non admittantur.

XXIV.

Decreuimus etiam, vt pacis bonum & concor- Arelatense  
 Concilium  
*Concil. Tom. 24.* Eccc ij

tempore  
Caroli, cap.  
12. Senten-  
tialiter.  
Cabilonen-  
se Conci-  
lium tem-  
pore Caro-  
li, cap. 20.  
Informa.  
Hebr. 12.

Turonense  
Concilium  
tempore  
Caroli. 33.

diæ ab omnibus indisrupte teneatur: quia si inter nos fideles, vt in capitularibus domini Caroli legitur, pax & concordia habenda est, dicente Apostolo: *Pacem sequimini & sanctitatem, sine qua nemo videbit Deum*: multo magis inter episcopos & comites esse debet, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, vt alterutrum sibi ad Dei seruitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint. Comitibus quippe & iudicibus, reliquoque populo expedit, vt in Turonensi Concilio legimus temporibus præfati principis acto, vt suis sint episcopis consentientes & obedientes, propter Dei amorem, & semper ab eis vtile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & episcopi prædictas personas similiter suscipiant, honorificeque erga eas in omnibus agant, & sic sese mutuis studeant subleuare consolationibus.

## XXV.

Cabilonen-  
se Conci-  
lium tem-  
pore Caro-  
li, 52. & 54.

De monasteriis clericorum, monachorum, atque puellarum, quæ clericis siue laicis beneficii iure donata sunt, placuit vt tales eis præficiant prouisoires & præpositos, sicut in Cabilonensi Concilio scriptum est, qui & præesse nouerint & prodesse, & qui ad episcopum recurrant, & secundum eius ordinationem ad conuentum Synodi occurrant, & commissum sibi gregem canonice & cum magna religione custodiant, quasi rationem de animabus eorum reddituri.